VRBIS ROMAE
RENOVATIO.



ROMAE M. D. XLII.


AD ILLVSTRISSIMVM DVcem Pyrrhum Loisium Farnesium.

Astyanacta fouens hac Hector voce precatur:
  Sic optat nato fata secunda suo.
Quitecunq; puer carissime viderit oro:
  Sis melior dicat maior & ipse patre.
Vincere mortales alios cuncti acrius ardent.
  At vinci a nato gaudet, auetq; pater.
Filius est etenim patris immortalis imago:
  Fortuna virtus cum comitante micat.
Felix ille parens: quem nati gloria cœlo
  Tollit: vt est felix natus honore patris.
Post cineres remanet viuens genitoris imago.
  Et domus & nomen perstat in vrbe frequens.
Gaudet vt in cœlo sanctos reperire parentes.
  Sic gestit prolem sidera clara sequi.
Qualis Alexander præcessit honore Philippum,
  Floruit & victo maior in orbe patre:
Talis Alexander tua Dux Pyrrhe inclyte proles
  Nunc superat patrem: mox superabit auum.
Cuius adhuc florens virtus me condere carmen
  Cumq; suis laudes dicere iussit aui.
Lætitia pectus perfundens perlege carmen:
  Laus est natorum gloria summa patrum.
Quod si non cecinit surdo mea musa: videbis
  In laudes pandi mox Helicona tuas.

AD ILL. AC R. ALEXANDRVM Farnesium S. R. E. Cardinalem. Hieronymi Borgii Romæ Ananeosis.

HOSPES IOVIVS.

Ho. E TVA fama noui genitrix insignis amoris
Quæ capit absentes, late diffusa per orbem;
Ad te clare Ioui Lucanis traxit ab oris.
Quanq̃ sanctus amor fuit vrbem causa videndi;
Promptior ipse tamen feror ad venerabile nomen:
Ceu quondam Phœbo properauit ab vsq; cadente
Hospes: ut Historiæ patremq; decusq; Latinæ
Aspiceret propius: sensusq; referret opimos.
Hic quando optatum mihi te sors obtulit ultro:
Hoc age siste pedem nemoroso in colle quirini,
Vrbs tota unde uetus solet & noua Roma uideri;
Incipe: dum spirant septem de montibus auræ:
Felices auræ sedantes molliter æstus:
Hic aliquid memora: quod amicas impleat aures,
Atq; ambo hac uiridi meditemur carmẽ in umbra
Nostri admirantes fatum memorabile secli;
Tris nuper furias tenebrosi e faucibus orci:



Vidimus emissas, facibusq; per oppida & agros
Bacchari armatas, & eodem sidere diro
In genus humanum coniurauere cruentus
Mars, & sæua lues, & longe tetrior omni
Peste fames, uacuasq; domos, & inania ditis
Regna replere nouis certarunt vndiq; prædis,
Orbantes populis magnas florentibus vrbes.
Nec sat terra fuit, Neptuni ad prælia campos
Sortiti liquidos stygii mortalibus hostes
Infensi largo fœdarunt sanguine pontum,
Impia facta hominum diris obnoxia pœnis
Tantas conflarant animis cœlestibus iras.
Tunc vltro Pallas nostræ studiosa salutis,
Pallas noster amor, cœliq; magistra colendi,
Vnde meus Siris piscoso flumine felix
Currit in Ionium, nemorosa cacumina montis
Scandere me monuit, Parnassi vt uertice tuto
Qualis Deucalion citra discrimina fluctus
Spectarem vastos, alienaq; fata dolerem.
Nuntius interea, quo non mihi tristior alter
Ingruit, ecce meas iterato perculit aures,
Auspiciis positam Martis felicibus urbem
Mirificamq; Deum sedem, caput orbis, & amplo
Iura orbi dantem Dominam (mirabile dictu)
Bis captã (heu dolor) & laceratã imanibus armis,
Effrenisq; datam latronibus omnia prædam
Dura pati, & miseris compleri questibus auras.
Protinus obstupui, vox pulsa dolore refugit.

In fauces imas, animusq; obtorpuit æger.
Mox longum lacrymans effudi ad sidera luctum.
Qualis amore pio Iuuenis cum concitus ardet,
Spectat & ab rapidis caram prædonibus amens
Raptari matrem tyrrhena per æquora flentem.
Non tantum sparsit lacrymarum (uera fatebor)
Facta dolore canis natorum ad funera mater
Plurima, troiugenis reginam flentibus orbam,
Quantum nostra graui rorantia lumina fletu
Fudere, excidium Roma subeunte nefandum.
Nunc autem admiror (ueluti si horrentibus hostes
Nulli euertissent armis crudeliter urbem)
Omnia florere, & renouata resumere formam
Augustã formã, decus omne hilaremq; uigorem.
Dic o docte Ioui (quando pars una fuisti
Exitii) causam breuiter seriemq; malorum,
Et quoniam fecit tempestas horrida finem,
Quis Deus hanc urbi faciem priscumq; decorem
Restituit? læto rident hic omnia uultu,
Et musæ uario solantur tristia cantu,
Relligio passim cultu dominatur honesto,
Fratris in urbe tener regnat cum matre Cupido,
Cum nymphis charites celebrãt puerisq; choreas,
Per fora splendidius per templa uagantur amores,
Connubiis operam nauans hymenæus inanes
Prole noua reparare domos studet acer & urbem,
O quas delicias animis mirantibus offert
Pulcher amor passim matronis plena uenustis

Inter pilenta exultans & ſpicula torquens.
Cum ſtrepitu iuuenes ciet ad ſpectacula currus.
Iam mercatorum periuria ridet Atlantis
Mille nepos: opibuſq; vias arteſq; parandis
Monſtrat: & agricolæ tellus iam paret auaro.
Iam res Neptunus peregrinas vndiq; mittit.
En vrbs barbarico facta eſt formoſior igni:
Nam uelut ambuſtis ab ſtirpibus omnia multo
Lætius exurgunt uirgulta: feracior omnis
Terra fit: ac patulas felicior arbor in umbras
Creſcit: ſic longe meliores ubere pleno
Roma cremata uiros peperit: maioraq; pandit
Lumina uirtutum magno reparante Camillo.
Gratulor: an ne alter dedit hęc meliora Camillus?
Dicere nunc auſim gentem rediiſſe togatam.
Excoquitur flammis uitium: uenit aurea uirtus
Acta per ærumnas: bonus ædificator ab imo
Eruit ipſe domum: meliorem ut reddat, opacis
Lux oritur tenebris, fœlix iniuria, maior.
Vnde habet vtilitas ſpecies & pulchrior vrbem.
Purius ac melius fit multo verbere linum.
Incipe: nam ueterum ſecura in ſede malorum
Sæpe iuuat meminiſſe, aliiſq; referre labores.
Fœcundas aperi ſcatebras, ac pectus opimum.

10. Ne me ne iubeas hoſpes renouare tremendum,
Quo ſtupefacta cadũt etiam num corda, dolorem:
Non mea ſi faciles afflarent pectora muſæ:
Nec mea Mæonidæ ſi ſpiritus ora ſubiret,



Omnes excidii formas comprendere possem:
Aequare aut uerbis tam lamentabile funus.
At tu quo mecum doleas magis impia facta:
Lætere & fatis melioribus, accipe paucis
Plurima fortunæ uariantis vulnera, uates
Fraternas alii conentur dicere pugnas,
Et coniuratis captam legionibus arcem,
Fataq; sæua fleant Priami, Graiumq; labores,
Materiam prisco sibi miram a tempore quærant,
Nostra fuit nobis nimis exitiabilis ætas.
Ne tantum facinus, ne tantum dedecus, ah ne
Tam fœdas scelerum facies, & barbara monstra
Aspiceret mœstis oculis tyberinus, amictu
Ipse caput flauum nebulæ prætexit, & imo
Gurgite delituit, fœdatus & ora suorum
Sanguine, fata suæ plorauit turpia gentis.
Alta super liquidis Regina sedebat aquarum
Fontibus, & caste uiridi degebat in æuo,
Temneret in tenui quanuis mortalia cultu,
Nec crinem ornaret, nec fuco pingeret ora;
Gratior illa tamen diis & mortalibus ibat
Omnibus, & uultu formosior ibat honesto.
Tantum forma placet, formam comitante pudore.
Omnipotens illam genitor de uirgine nato
Connubio stabili iunxit, propriamq; dicauit,
Prole noua ut uacuum penitus cõpleret olympum,
Iunxit utrunq; sacram primũ Iordanis ad undam
Vraniæ proles, thalamosq; Hymenæus in altos

Duxit, eam celebrans diuino carmine lucem.
Illam etiam ſponſus miro decorabat honore,
Vt domina una foret rerum, ut noua regia cœli
In terris ſupera ditione potentior eſſet,
Vt mulcere queat tumidos & vincere reges
Exiguiis foliis, & ſacro carmine victos
In quoſcunq; uelit trahere, & deducere tractus.
Inde poteſtatem dedit illam, & claudere cœli
Poſſe adamantæas, penitusq; recludere portas,
Nec poſſe eumenidas, nec vi nec fraude nocere,
Nec duros orci poſtes obſiſtere contra.
Hanc ſibi paſtores Dominam legere pudicam
Ab Ioue felices ſoles hyemesq; ſerenas,
Ac tempeſtiuos orantem frugibus imbres.
Mira fides, quacunq; pedem pia nympha ferebat,
Alba ſequebatur comes illam in vertice fulgens
Ales, & igniferum fundebat ab ore ruborem,
Septena immenſis ſpargens ſacra munera terris.
Hanc matutino dicebant carmine muſæ,
Alternisq; choris iterabant veſpere carmen.
Et cum nox medios agitaret in æthere curſus,
Dii quoq; gaudebant ſocio per mutua cœtu
Et lætos ductare choros, & iungere cantus,
Tantus amor terras inter cœlumq; vigebat,
Nam cum diis homines intra hęc conuiuia ſanctę
Pronuba Reginæ, longo poſt tempore pacem
Facere, & placido iunxerunt fœdere dextras.
Ipſa ſuum dum ſponſa virum caſtiſſima ſolum
Diligeret,

Diligeret,complexa deum,complexa maritum,
Ac mentem ad ſuperos tantum conuerteret orbes;
Coniugis & ſolos animo nutriret amores,
Et manibus puris ſtata ſacra imponeret aris,
Cum caris alacres mortalibus orgia Diui
Gaudebat celebrare,& amicas iungere dextras,
Mutuaq; a terris ibant commercia cœlo,
Quid noua quid numerę miracula plurima ſancto
Nata ſolo,hinc gẽtes magis ac magis aucta p oẽs?
Mille vel elati feretro rediere relicto
In ſua tecta hilares,mirantibus ora propinquis
Viua,Deoq; ſimul grates ſoluentibus amplas.
At poſtq̃ monſtrante deo terrasq; viamq;
Tranſtulit ad tyberim uirgo ſanctiſſima ſedem,
Ac ſeptem geminos montes vrbemq; ſuperbam
ſubiecit,pedibusq; ſacris figi oſcula iuſſit,
Caſta gradu primo,nulliq; obnoxia luxu
Aetatem exegit teneram ſine labe pudoris.
Poſt ubi magnanimi certatim plurima reges
Munera cœperunt,virideq; offerre ſmaragdos,
Et quas delicias rubro de litore mittunt
Illuſtres populi,quod & aurum deuehit hermus,
Mox cum fortuna(uiſu mirabile) mores
Mutauit,ſenſim niueum de fronte pudorem
Reppulit,& primum donis ſummittere ſenſus,
Ac dites adamare procos,& poſtere cœpit
Plura datis,auidosq; animos explere petendo,
Venderеq; immeritis auro cœleſtia dona,

Aurea prostituens diuinæ gaudia formæ,
Prostituens uulgo Veneris cœlestis amoris.
Hinc potare palam, choreasq; agitare procaces,
Nunc celebrare iterum cõuiuia lauta sub umbris,
Nunc altos calices ac libera uina madentem
Instaurare iuuat, fidibusq; incumbere blandis
Et pro diuinis fallaces uoluere chartas,
Ac pro pauperibus turmas nutrire nitentes
Quadrupedum, gregibusq; canũ uexare fugaces
Saxa per & campos indigna indagine ceruos.
Nunc hos, nunc illos Reges admittit amantes,
Hos necat amplexus inter blandissima falsos,
Hos iuuat inter se ualidis committere pugnis,
Et spectare procos in mutuua uulnera ferri.
Tandem de ualidis tot legit amantibus unum
Lilia gestantem multis uictricia seclis.
Qui dominam luxu dapibusq; iocisq; uacantem
Tutari gladio ualeat uel cuspide forti.
Talia dum spectat coniux mœstissimus alto
Flagitia e thalamo sæuas exarsit in iras.
Sponsam indignatus prouecta ætate procacem
Euasisse, uelut circæo carmine uersam
In turpẽ stolidamq; suem, graue propter & ingens
Põdus opum, requiemq; altam, quæ vixerat annis
Castior in teneris, & purior alite pura:
Dum pareret sanctos humilis fortuna labores.
Protinus Aligerum talaria nectere iussum
Alloquitur Iuuenem, descende ad tybridis artes

Docte minister, abi, moneas infanda furentem
Potantemque procos inter ludosque profanos,
Ac tot opes sacras immaniter absumentem
Caram olim sponsam, thalamos sine fine pudicos
Incestantem, omnem pudeat posuisse pudorem.
Incestasque faces nimiumque impune uagantes
Tot scelerum facies extinguat, & improba mōstra
Arceat, ac meritæ uirtuti præmia reddat;
Mella absumentes aliena, æuumque terentes
Ridiculis studiis fucos extrudat inertes.
Qui meritæ quondā dederat tot munera princeps
Auferet immeritę, ne tot male sana pudendis
Criminibus uitiisque deos cœlumque lacessat
Vltores oculos ultricia fulmina gestans.
Hæc Deus, hæc rutilis demissus nuntius astris
Fertque refertque minans, sed nullis stulta mouetur
Tristibus illa minis, surdas obstruxerat aures
Ebria deliciis, non cessat pangere uites,
Vmbriferosque hortos & amænos quærere fontes,
Coniugiisque nouis primas impendere curas,
Atque oblita uirum rorantia pocula mensis
Ingerere extructis, cœloque attollere turres.
Interea coniux horrenda concitus ira
Flagitia ulturus mœchæ intoleranda pudendæ,
Laxarat stygias acies, simul alta tyranni
Ostia tartarei patefecerat, haud mora, sæuo
Ex aquilone tonat tempestas tristior, unde
Panditur omne malum turbati ab origine mundi,

Vnde redundarunt iræ, fera prælia, cásus,
Excídia, interitus terris cœloq; tremendi.
Astus & arctoum sociata fraude furorem
Auxerat occiduus, furiarum peior ab oris
Vis ruit occiduis, ubi solis amabile lumen
Occidit, unde cadunt nascentibus aspera fata.
Iam nihil in miseris diuina potentia terris
Iuris habet, stygiis cessit sua iura cateruis.
Donec tot scelerum facies vltricibus armis
Auferat impuris aris, sacroq; cruore
Extructum, renouet meliori cardine templum,
Attamen ingenita pietate impulsus amator
Admonet amentem rursus, nemesimq; flagello
Accinctam celerare cito pede nuntiat, orans,
Vt sese agnoscat, ueniamq; exposcat in hora
Promissam extrema, contra, ni pectora tundat,
Ni penitus se pœniteat, uitæq; priori
Reddat, & instauret læsæ dispendia famæ,
Illico passuram longe grauiora, tulisset
Impia q̃ mater solymis deserta cauernis.
Quam germana hydro laniata in litore thracum.
Et iam rumpebant fatalia fila sorores,
Ac nimis Augustæ fatis obstantibus aulæ,
Dii quibus urbs steterat templis abiere relictis,
Et dux dirarum legionum immania magnum
Paulo ante in regem molitus damna, furendo
Cunctaq; uastando mauortius apenninum
Transierat, confestim animos pauor occupat oẽs,

Quiſq; ſuam gemit ore uicem fatumq; trementi,
Cæca patres ne dum cepere obliuia plebem,
Poſt ubi fama lacum Cyminum camposq; teneri
Sutrinos, hoſtemq; refert properare minacem
Et iam prægreſſos equites ſpeculantur, & auras
Terribili auſcultant ſonitu reboare tubarum,
Priuatos luctus ſtupefecit publicus horror:
Continuo Brennus celerat fatalibus alter
Agminibus: mox Tiſiphone rapiente: viamq;
Sternente, horribili prædonis imagine ſumpta
Inſubris, anfractus per opertos tigride fœta
Ocyor, attonitam ſubitis terroribus vrbem
Aggreditur: ſimul admoto furit ariete, & inſtans
Pulſat, & effractis bacchatur mœnibus, hoſte
Horridior ſcythico bizantia regna præmente,
Nec mora: fatali tranſfixus pectora telo
Occubuit primo certamine, talia demum
In fata Alecto redigit fera bella mouentem.
Suadet enim mala: nec meminit ſeruare miniſtrū.
Aſt heu dux validæ confidentiſſime gentis,
Ipſe iaces poſt tot patriæ regiſq; labores.
Ante vtinam noſtrum cecidiſſes impie caſum:
Quid tantum leuat exitium tua pœna ſecuta?
Pro quantis inſtructa dolis inuaſit erimnys:
Suſtulit ante ducem, nequis frenare ſeuero
Imperio vires poſſet ſine lege furentes:
Nondum etiā immiſſis truculētis hoſtibus, auras
Miſcuit aerias denſa caligine, fundo

Eructans stygio noctem, simul vndiq; uisus
Mortales hebetans, obiecta ac nocte timorem
Ingeminauit atrox, pauidis simul abstulit omnem
Ciuibus aspectum, at nebulæ velamine tecti
(Raptores vt sæpe lupi cum plena pererrant;
Septa ouium tacitis incursibus) acrius hostes
Incubuere vrbi, trepidant præcordia captis
Omnibus, & magnæ collabi mœnia Romæ.
Cum dominisq; domus cum diuis fana videntur.
Arma abiecit humi Pan glauco lumine toruus.
Barbarus vt captam (veluti padus omnia ruptis
Aggeribus sternens) late se fudit in vrbem:
Sternere pars gestit ferro miserabile vulgus,
Pars rapere, & rapidas tectis immittere flammas
Captiuosq; inopes torquere, quaterq; redemptos
Ingenti pretio mercari & uendere certant.
Quodnam perfugium superest mortalibus alto
Sub cœlo? quæ tuta manet nunc deniq; sedes?
Si cecidit domus alta Deum? si corruit orbis
Patria communis furiis data præda latronum?
Exitium hic orbis totus miserabile sensit,
Orbis in vrbe colit dū læta per ocia pacem. (nus,
Incola Teutonicus gemit hinc, gemit inde Britan
Hinc flet diues opes direptas incola Gallus,
Non consanguineus seruauit iberus iberum.
Sarmata mœret inops socio cum pannone nudo,
Dalmata miratur subito se turbine captum,
Ac patitur raptas post res tormenta nocentum.

Exiguis opibus graius ſpoliatus, egenis
Aſſuetus rebus minus ungues ſenſit auaros.
Paſtor inops fruſtra paucis comitatus in arcem
Confugit, in prædam gregibus ſtragemq; relictis.
Non ſenibus patribusq; ſacris diuisq; pepercit
Barbarus, euertit ſimulacra vel alta deorum.
Auulſos matrum pueros e dulcibus vlnis
Torruit, ac feſtis miſerorum viſcera menſis
Paſtus, adorauit ſocio clamore lyæum.
Aetnæo infamat uaſtos cyclopas in antro
Fabula, nunc ueros uis edit tetrior actus,
Inq; ſacerdotum capita incubuere gerentum
Pro clypeis fruſtra diuum ſimulacra, furentes
Durius, in caluo uomuerunt uertice uirus.
Non texit ſanctum reuerentia priſca ſenatum,
Non ſua Pontifici maieſtas, non ſacra gemmis
Ipſa corona triplex redimitaq; profuit auro,
Arx ſua præſenti uix illum a morte recepit.
Non ſua ueſtales penetralia ſancta puellas
Defendere, fuit diis ipſis vndiq; multo
Veſtitis auro gemmisq; micantibus ingens
Exitio pretium, iam præda opulenta uocabat
Vndiq; terrigenas, bona propter maxima dites
Maxima ſunt domini mala paſſi, qualis opaca
Diuitiisq; ſuis onerata ingentibus arbos
Ipſa ſuos frangit nimio ſub pondere ramos.
Et quando lacerata fuit tot fluctibus altis
Sacra ratis? quando rapidis tot ſaucia uentis?

Nunq̄ sic rabies in sanctam barbara nauim
Irruit, atq; dedit scelerum latus illa sonoris
Fluctibus, ac diro pessundata turbine vastum
Fecit naufragium, iacuitq; immersa sub vndis:
Prodigium hæc illud portendit funera dirum.
Cum sors belligero liguri suffecit hetruscum,
Exortis subito tenebris expalluit aer,
Cæruleoq; caput sol fuluum inuoluit amictu,
Extinctum ostentans Romani luminis astrum.
Mula & Pontificis magnorum enixa malorum
Hunc partum dedit horribilem, perterrita mōstro
Euentum tristem metuerunt corda quiritum.
Hic ego dum vinclis exolui eluctor iberis,
Aspicio exanguem latronumq; arma trementem
Circumfusa senem, quem nec uenerabilis ordo
Purpurei cętus, nec texit sanctior ætas.
At dum sublimem manibus per mutua nexis
Bacchantes gestant, captoq; illudere gaudent.
Hunc miser ore truci clamorem tollit olympo,
O seclum infelix, o plena laboribus ætas,
En quo longinquo uiui peruenimus æuo?
Mors o cur mihi sera uenis? me uincla manebant
Hæc miseranda senem malesartū ultura galerum?
Aerumnas Priamus pluresq̄ Troilus hausit,
Nulla quies dabitur? iactatamq; anchora puppim
Nulla tenax sistet? nullus dabit ocia portus?
Præterito ne sequens ueniet crudelior annus?
O labes nostræ turpissima tempestatis

Vrbis

Vrbis & exitium uidisse orbisq; ruinam,
Quid nam uiuendo nisi facta miserrima uidi?
Regnorum interitus, & atrocia bella Gigantum
Sedibus ausorum superos arcere beatis.
Felices, neq; ad hæc seruati fata parentes,
Siqs erat toto (dolor heu) pudor orbe superstes,
Siqua pudicitia & sancti reuerentia cultus
Romula sub niueo seruabat fœmina uelo,
Quam multa impuro Lucretia cessit ibero?
Quam multa immiti germano claudia sensu
Paruit inuito, frustraq; cucurrit ad aras?
Et quod deterius positis ad limina signis,
Raptores inopes domina dominantur in urbe,
Barbaraq; urbanis bacchātur mōstra sub umbris.
Nunq̄ post natos homines amor arsit habendi
Asperior, maiorq; fames mortalibus auri
Pectoribus fluxit, nec tanta incendia pandit,
Vsq; adeo ut scelerata phalanx penetralia magni
Ditis adorta, patrum reseratis ossa sepulchris
Eruta per flauas tyberis disiecerit undas,
Vtq; metum mutis ingentem incusserit umbris.
Dum rapit hic digitis adamāta, hic detrahit aurū,
Ille e Pontificum gemmatum fronte tyaram,
Terrarū heu dominā caput alta sub astra ferentē
Ceperit, ac totam momento euerterit horæ
Quæ uis tutari & uenerari debuit illam?
Omnia miscentur flammis ferroq; cruento,
Cætera nec memorare dolor, nec pandere uulgo

Fœdatus finit ipse pudor, tamen æthere ab alto
Et uidet & patitur Deus hæc impune, & atroces
Permittit uictrice manu sæuire gigantes,
Dum sic ipse suos ulciscitur hostibus hostes,
Ergo ne summa dies Italis (Deus arceat omen)
Venerit, aucta premens? heu fato urgente ferũtur
Retrorsum & cœli uersatilis omnia motu
Humana intereunt tacito labefacta ueneno.
Horrida communis uenit iam funeris ætas.
Omnibus atra dies sceleratis imminet, æquas
Carnifices uideo pendentes sanguine pœnas,
Quin & opes ipsas malepartas ocyus omnes
In nihilum rapido tenuabunt turbine cauri,
Qui post euersam fatali iudice Troiam
Prædones Graii sensere capharea dirum,
Plurima per terras peccata luere per undas.
Hæc fatus, mediis bacchantum euanuit ulnis.
Plura quid enumerẽ? quę ficta haud facta minores
Accipient, diuum ereptus sed numine uates
Plurima uenturo mandauit Cursius æuo,
Cursius excidii qui pars fuit altera diri,
Cursius exitium qui culto carmine fleuit,
Cursius ore pio qui pœnas sæpe reposcens
Vltores flexit superos, & nigra furentes
Mille modis hostes detrudi in tartara uidit,
Dum Latium uastat, dominam dum diripit urbem
Cum socio immani diuum contemptor apella,
Dii meliora, erebo non ulla rapacior atro

Exiluit pestis, quis tam latet angulus orbis
Abstrusus? Thraso quo non se intruserit audax?
Ipsa uel ignoti gens mundi sensit auaros
Plurima prædones, commune experta flagellum:
Quid nisi sacra fames prædones impulit auri
Trans æstus Libyę, trans ægocerota rigentem
Ignotas penetrare uias, & inhospita mundi
Litora: nec prima tentata ab origine rerum,
Vt manes imos naturæq; abdita nando
Attigerint, alio nacti noua sidera cœlo.
Quid nunc præcipitem furiosi persequar iram
Martis, & acceptum patriæ intra uiscera bellum?
Quã prope terribilis uisa est mihi Martis imago?
Qualem sæpe mihi ueterum monumenta legenti
Ostendere, ferox nunc me quoq; torquet imago.
Mars etenim sumptis fremeret cũ cõminus armis,
Ipse adamantæis squamis ferroq; rigenti
Cõsertam induerat chlamydẽ, dextraq; pauendam
Luce illa infausta uibrabat durius hastam.
Ipse sui oblitus generis patriæq; deorum,
Ore minas, oculis odium implacabile, uultu
Contemptum necis, insanos a corde tumultus
Spirabat, cunctis pręsentem indicere mortem
Ludus erat: fusoq; sitim satiare cruore.
Plura quid ingrato memorem quid cætera uersu?
Omnia uerba malis fateor succumbere tantis.
Hæc tum Pontificem magnorum pectora Regum
Terrentem breuibus foliis & carmine sacro

Sors tulit infelix, cedentem iura furori
Omnia teutonico, seq; & sua cuncta uidentem
Diruta, turpatosq; deos pollutaq; templa,
Atq; profanatum magni penetrale tonantis
Coram inspectantem, diis auersantibus ipsum,
Seq; arctis cinctum uinclis hostibus, arce
In propria, magnum modo qui possederat orbem,
Quem decus hesperiæ gẽtis, quem numinis instar
Clementem socio tollebat hetruria plausu,
Clementemq; urbes Clementemq; arua sonabant:
Attamen ærumnis in tantis ducere uitam
Sustinuit, patriæ communis funeris auctor,
Nec cœtus hominum nec fugit deuius auras
Inuisas cœli, lucemq; indigna ferentem,
Pectora nec sæuo perrupit uicta dolore.
Dum regnant homines ipsi rectoris egentes,
Hostibus ante tubã dum terga trementia uertunt;
Aspice q̃ paucis res itala corruit annis.
Ho. In sensus hominum cadit heu tam dira libido,
Vt quam debuerant defendere rite Deorum
Eruerint sedem? desunt sua tela tonanti?
Quid Scytha sæuiret capta uiolentius urbe?
Sed q̃d ego indignor? Nemesis quoq; sæuior istis
Ingruet, ac noscent curare humana tonantem.
Differt, non aufert pœnam Deus ultor acerbam.
Io. Litoribus nostris appulsa a uespere nunq̃
Maior abactorum uis est, neq; copia peior.
Cui mala fex nostri generis dira arma secuta,

Ac patre dite ferox gens edita fœdere sese
Insano addiderant socias, sitis impulit auri.
Ductor abactorum primus tamen ante labantem
Terribili Caulam transfixus fulmine, pœnas
Cōtinuo scelerum meritas dedit, inq; profundum
Millia multa erebum secum bacchantia traxit.
Hei mihi cum vidi iuuenes imcumbere sceptris:
Omnibns ac terris pueros ratione carentes
Esse deos, pelliq; patres ab limine regum:
Tunc sensi in senium labefactum vergere mundū:
Prospexiq; faces incendia vasta cientes.
Tunc sine mēte vagos vidi Phaethontas in altum
Euehi, & ignifero comburier omnia curru.
Ho. Sæpe quidem memini Melisæum talia vatem
Excidia Albanos per campos perq; Sabinos
Prædixisse, illi siue obseruata supinis
Montibus astra forent, venturaq; fata docerent:
Seu Phœbi afflatus ualuisset numine, certe
Prædictis grauiora malis venisse videmus.
Fors adeo est semper fœcundior ipsa malorum.
Sæpe etiam dixit pueris mirantibus ipsum,
Væ uobis pingues tyberina ad flumina Vaccæ
Ocia quæ teritis nimio petulantia luxu,
Væ uobis Tauri qui cornibus omnia duris
Sternitis, iste cadet furor acri aquilone subactus.
Et uos in luctum Ranæ tristemq; querelam
Vertetis cantus, uenientem horrescite pestem.
Faucibus ecce petit uos dirus hiantibus hydrus.

Io. Maxima præda lupos opulẽtiaq; ampla uocauit
Vndiq; prædones, paſtorum ignauia mollis
Reddidit audaces, uacuum quid, ouile moloſſis
Nonne patet quauis uiolentis furibus horas
Incuſtoditum uocitat pecus undiq; furem.
Heu non auſonias euertit barbarus amplas
Hoſtis opes, grauibus uitiis ſed numina noſtris
Læſa diu, ultrices miſerunt æthere pœnas,
Carnificesq; iubent ſcelus omne abolere cruẽtos.
Ho. Vera Ioui enarras, eadem Meliſęus ad unguem
Fatidicus cecinit, cum luxuriantis alumni
Fortunæ fluerent uitioſa per ocia reges,
Perq; uoluptatum uariarum ſtagna natarent
Mollia: parthenopen ad fœda exempla trahentes,
Et nunc ſola ſilet miſerando regia caſu,
Quære locum, nulla inuenies ueſtigia Regum.
Sanguineum ſpectans ſic inquit in axe Cometen,
Nunq̃ arſit ſine uaſta animantum clade Cometes.
Quot celerare feras noſtra ad uiuaria cerno
Barbaricas, terramq; feris immitibus omnem
Impleri heſperiam, miſtoq; rubeſcere tabo.
Paſtores, quibus ipſa greges conceſſit alendos
Magna pales, melius poſt hac defendite caulas,
Ecce ferę inuadunt, date tela, arcete Leonem
Finibus externis in ouilia noſtra ruentem,
Informemq; urſum uaſtantem paſcua rictu,
Et clam peſtiferis uirus graue faucibus anguem
Fundentem uitate domi, uitate per herbam:

Hęc per diuersos tria monstra minantia callẽs
Nemo sine auxilio diuum superabit, opimam
Mactemus uitulam, tum numina læsa precando
Placemus, scelerum pigeat, sic deniq; diuum
Certa ope confisi uitabimus ora ferarum,
Sin secus insani faciemus, ab ore Leonis
Haud facile elapsi diro occursabimus Vrso,
Aut Vrsi rabiem fugientes, non satis arcem
Pręndemus tutam, nec mons, nec celsa crepido
Nos tuto accipient, coluber latitabit in herba,
Letiferoq; imos mordebit uulnere talos.
O Læta o felix uentura nepotibus ætas.
Cum scelerum moles in culmen creuerit altũ
Atq; cohors dederit uitiorum subdola pœnas.
Tum pater ærumnas hominum miseratus ab alto
Diuinam demittet opem pius æthere terris,
Vir genitus ueniet Romano sanguine, priscę
Virtutis specimen, qui callens palladis artes
Perq; gradus omneis summum sortitus honorem
Instauret mersum bellorum fluctibus orbem,
Qui pacem reddat populis, & munera pacis,
Qui bene componat sua per uestigia mores
Barbara corrupit quos longo iniuria bello,
Qui lapsum renouet meliori cardine templũ,
Qui graue naufragium tempestatemq; nefandam
Perpessam nauim perducat in ocia portus.
Tu quoq; si pietate deos ac pectore sancto
Rite coles, poteris tam felix cernere seclum.

At ferro ſcelus omne prius reſecetur oportet,
Et grex caluus iners luat atro ſanguine labes,
Pan o magne piis quem plorauere peremptum
Vocibus in cœlo uolucres, & in æquore nymphæ,
Quem trunco in ſacro nimium crudelia paſſum
Supplicia, ante alios lacrymis ſol fleuit abortis,
Cum caput obſcuro nitidum prætexit amictu
Indignumq; nefas ſimul auerſatus, anhelos
Retroflexit equos, tenebriſq; exterruit orbem,
Vnde ſibi æternam timuit gens impia noctem,
Quantum uis alii bene uiuere longius optent,
Aſt ego ſat bene poſſe mori, da lumina claudam,
Ne uideam terris quod cunctis imminet ingens
Diluuium, agreſtumq; caſas Regumq; ſuperbas
Merſurum paſſim turres, ac templa deorum,
Hæc ait, & lucum ſenior repetiuit opacum.
10. O felix hoſpes, cui tantum audire canentem
Contigerit uatem, nunc o felicior, almam
Cui matrem hanc liceat mala nulla reuiſere paſſo:
Te tua ſeruauit rebus fortuna ſecundis,
At nos diluuia & tyberinos omnia fluctus
Vaſtantes penitus (cum tempore Roma ſereno
Nabilis ipſa foret) tormentaq; barbara paſſi
Vix animam eripimus cumulatis cladibus ægrā.
Sed nunquam pietas Romam diuina reliquit.
Cum ſuprema Deo ſors Paulum æquauit: honores
Diuinos largita, decuſq; euexit in altum,
Extulit os ſolito formoſius Iris Eoo

E tractu

E tractu exultans, & mille coloribus ardens,
Mox tempestates & nubes dispulit atras,
Ac faustum læti dedit huius temporis omen.
Insignis fulsit radiis felicibus annus,
Terra ferax passim, læti clementia cœli
Aurea pax, populis gratissima dona tulere,
Lætitiam domitis auxit uictoria pœnis.
Hic est quem toties spondent oracula uatum,
Qui reparet uastis euersum cladibus orbem
Principe in hoc uno posuerunt omnia diui.
Hic est qui exitio trifidoq; a turbine sacram
Pene ratem eripuit, sanctisq; fauentibus auris
(Vt recte cœpit, nos & benefacta probamus)
Aut hic aut nemo (nisi uatum oracula fallunt)
Paulatim in portus speratos ducet ouantem.
Inuidus ille magis qui non hunc laudat, habēdus:
Quam qui perpetuis fert laudibus, assentator,
Quis Pauli benefacta queat compredere paucis?
Omnia quæ uario cecinit tua carmine Clio?
Vt, cum difficiles sumpsit labentis habenas
Imperii, extremas extenderit acer in oras
Ingenii lumen, ut senserit Africa uires
Perdomita ausonias, nostrũq; ut barbara martem
Gens iterũ horruerit, cum maximus auspice Paulo
Cæsar regnum ingens Libyæ sub sole recepit
Ardenti, & uicto prædonum principe sæuo
Egit honoratum Capitolia ad alta triumphum,
Vt summa pietate flagrans curauerit omni

Communem studio vigilique labore salutem.
Cum nihil est veritus caput obiectare periclis
Ipse sacrum, & montes ausus superare niuales
Regum pestiferis medium sese intulit armis
Ab Gallis Italos vbi Varus diuidit amnis.
Pacis alumnus, eam dum cæcis mentibus infert,
In neutrum vergens pacauit molliter ambos.
Nec prius abscessit Nicææ a mœnibus altæ
Quam propriis humeris Italas portarit in oras
Optatam populis pacem plaudentibus, ultro
Cum vaga magnanimũ resonarét flumina Paulum,
Et cùm crescentes siluæ super æthera Paulum
Velle viderentur validis attollere truncis:
Iam tum rura Deum præsentem læta canebant,
Paulum urbes pacem referentem optataque terris
Gaudia desertis hilares saluere iubebant.
Quid memoré (nunc maius opus super oĩa magno
Carmine ferre decet) quanto melioris egentem
Remigii nauem studio suppleuerit, atros
Aduersus nimbos: cum lustrans lumine terras
Lynceo, heroas magnos ad transtra vocauit,
Vitanteis semper scopulos stellasque notanteis:
Prorsus ut ereptam gelidis aquilonibus illam
In tutos portus & gaudia summa referret.
Iras Neptuni tumidas euasit Iason
Palladio vectus ventosa per æquora curru,
Quod secum heroas terram mare sidera mensos
Ducebat comites, laus inde salusque secuta est,

Aurea iam virtus, non vis maga profuit auri
Palladiæ cessit species plutonia formæ,
Nũc stat cardinibus solidis uenerabile templum,
Nunc & virtutes digni comitantur honores.
Pontifices alii si talia sæpe creassent
Conspicienda focis & primis lumina templis,
Non foret heu furiis pastorum dirutus orbis.
Romula nec data præda lupis raptoribus aula.
Nunc autem tales socios cum Paulus & arma
Legerit, emersit q̃ fauste en naufraga puppis,
Quam bene sulcat aquas tali nunc recta magistro,
Despicit hinc Borean, hinc Euri murmura, tali
Freta gubernaclo, tam forti & remige pollens.
Huic fera germanis tot monstra paludibus orta
Ac centum capitum contundere funditus hydram
Sorte datum, & late diffusum abolere venenum,
Huic quoq; sorte datũ est, augustũ absoluere tem
Quod ligur euertit cõfidẽtissimus olim, (plum,
Id quod sollicito exequitur certamine Paulus.
Commoda militiæ referam quid plurima sanctæ?
Hic plura oppressis peioraq; monstra sedendo
Vrbibus hesperię domuit, quam fortis in orbe
Alcides toto, belli pacisq; potentem
Magnanimũq; colit merito pars optima Paulum.
Vt celeri fregit Perusinum Marte furorem,
Vtq; sacrosancta ditione immaniter ausos
Sæpe Ioui insidias moliri vrbiq; rapinas
Contudit, atq; actos patria impietate gigantes

Expulit, arma mouens semper iustissima Paulus?
Quanta quies rerum quæ copia fluxit in urbem?
Hoc duce pulsa fides cum relligione pudorq;
Antiquas rediere domos: iustissima uirgo
Ius dat cuiq; suum, iusto sub preside pœnis
Subiacet omne nefas, nũc uulgo armenta uagãtur
Prata per & saltus incustodita, nec ullus
Amplius auditur Cacus regnare sub antris,
Virtutesq; diu profugas reuocauit, & æui
Ingenia ipse sui clarissima sumpsit alenda;
Ac donis decoranda suis & honoribus amplis
Mos erat in latio, genus omne vbi fulsit honorum:
Vt prius intraret præcelsam candida pubes
Aedem uirtutis, mox digna subiret honoris,
Mos hic nũc colitur Paulo duce & auspice Paulo.
Pro se quisq; patris sequitur uestigia sancti.
Paucas stagna Charon per liuida traiicit umbras,
Nulla lues urbes populat, fora cuncta refersit
Frugifero cornu uariarum copia rerum,
Deposuit cristas gladiosq; insana iuuentus:
Viuitur hic cœli bonitate, sed arte regentum
Viuitur hic melius, sine cęde & uulnere noctem
Ducentes, sine cæde diem sine tristibus armis
Iucundo fruimur secura per ocia seclo.
Ho. Quis post excidium miserabile crederet urbis
Solem oriturum illinc? radiisq; potentibus ægras
Instauraturum spes lapsi funditus orbis?
Nos o non inopes: diffidat nunc sibi nemo:

Spes erat unde minor, fortuna inopina reuisit.
Quam tenui filo res itala fracta pependit?
Fluctibus in tantis & tempestatibus atris?
Si nobis alium rectorem fata dedissent?
Naufragium maius fecisset romula puppis.
Omnia sub pedibus pressissent turpiter hostes,
Post raptos cæsosq; boues iuga dura subactis
(Hoc meditãtur onus) dominis urgere parassent:
Barbarus & nostris potiretur messor aristis.
Et premeret mites externus uinitor uuas,
Victor & iratus cetraq; superbus & hasta
Diceret, ut nostris quondam maioribus heu heu
Durius, hæc mea sunt, ueteres migrate coloni.
Iam dii non omnes fanis adytisq; relictis
Excessere, quibus stetit olim œnotria felix.
Nec gentem auersi prorsus fugere latinam.
Non omnis periit maiestas pristina, Paulo
Sospite sospes erit, uirtus Farnesia nomen
Sustinet en italum, maiusq; ad sidera tollet,
Artibus instructus patriis Romanus honorem
Venit hic ad summum per publica uota uocatus,
Sanctaq; bissenis meditatis munia lustris.
Dii patrii precor hunc patriæ seruate parentem,
Tamq; diu parcæ producite fila merenti,
Dum successores per sanctas excolit artes,
Instruit & summis uirtutibus, unde relinquat
Ipse sibi similes & tanto munere dignos,
Quiq; gubernaclum clauumq; in puppe tenentes

Nocte dieq; notos caueant,qui ſidera toto
Explorent cœlo,tenebriſq; horrentibus arcton
Suſpiciant vigiles infida per æquora nautis
Monſtrantem curſus,qui tantę pondera molis
Suſtineāt humeris,qualē hūc bene ferre videmus.
Io. Tu quoq; tēdis eò:quo mēs patris optima ſancti,
Optima ſæpe ferunt meliorem ſemina frugem.
Non ſolum præſens curat ter maximus æuum,
At vi conſuluit ſeclis potiore futuris.
Vt ſucceſſores claris uirtutibus auctos
Imperio linquat ſacro,dignoſq; nepotes.
Alex. Nomen aui referens & magni regis,auitas
Card. Virtutes animumq; refert in corpore pulchro
Farn. Indolis extollens Romanæ ad ſidera lumen,
Cum non dum firmo tam magnam robore molem
Cumq; tot a primis & tanta negocia luſtris
Suſtineat Iuuenis,quis non fateatur in illo
Numinis eſſe aliquid? quis non diuinitus ortum
Cenſeat eſſe illum populis ſine labe regendis?
Qui ſtrepitus circa comitum & ſublimia coram
Munia miratur conceſſa heroibus unis
Supra homines infraq; deos moderantibus urbes?
Maieſtas hilaris iuuenili ea regnat in ore.
Triſtis ut tanto diſcedat principe nemo,
Naturę hūc Iuuenem commendat epiſtola terris,
Vt cita commendat patrio ſapientia cœlo.
Iuppiter huic æquus naſcenti fulſit,& aſtro
Creſcentem ſenſim puerum luſtrauit amico,

Huic venus & Charites formam finxere virilem.
Mox duce Mercurio Pallas tritonia montes
Aonas inuectum musis mandauit alendum
Propter aquam arcani salientem fontis, in vmbris
Pieriis, vbi nectar Auus Iuuenilibus hausit
Eloquiumq; annis, orbisq; inuenta regendi.
Hinc Iuuenem euexit prudentia maior in altum
Ante annos apicem: solioq; accingit auito.
Hinc fauet ingeniis p̄stantibus, haud minus artes
Euehit ingenuas, q̄ quondam Augustus & ingens
Thuscus eques, veniāt vt pręmia ad ęqua marones,
Ipse ciet celebres posita mercede poetas.
Vt priscis similes modulentur, & inclyta quærant
Præmia, carmen amat merito Farnesius heros
Ingenuasq; artes, hoc nam facit unicus æuo
Carmina digna, fuit qui carminis auctor, Homeri
Hi sunt quos si vnq̄ naturam est nacta potentem
Ars operosa deis similes super æthera tollit,
Talem Scipiaden perhibent diuinitus ortum
Instructumq; sacris studiis, & numen olympo
Accessisse nouum, & famam meruisse perennem.
Si nunc Romanas annis pubentibus artes
Nouit, & ingenii cultos in publica flores
Cōmoda ab aurora sub prima crepuscula confert:
Quantus erit, matura uirum cum fecerit ætas?
Tunc tibi materiam tunc ille in carmina miras
Culta dabit uires, nec tu maioribus orsus
Auspiciis benefacta canes Farnesia surdo.

Vt quondam sine sola dies sine sidere noctes
Ac sine luminibus lychnisq; ardentibus ædes,
Sic sine musarum sordent splendoribus vrbes.
Nouit & vtilius nihil esse ac pulchrius orbi,
Quam studia aonidum docta enutrire sororum.
Mercedem hinc claris soluet doctoribus æquam:
Nam tria rem populi faciunt seruantq; beatam,
Principis aula boni, florens academia, portus,
Aula uiget felix, supra tyberinus & infra
Centum diues habet conuectans omnia portus.
At nunc quod superest, urgit Farnesia virtus:
Floreat in primis academia: fundat & omneis
In terras ut equo Troiano multa uirorum
Millia, sustineant qui doctis uiribus vrbes:
Qualis Atlas humeris stellantem sustinit orbem.
Ille quidem cœlum mare terram sustinit omnem
Qui doctrinarum regit æquo lumine mundum.
Quid possit soleatq; leuis fortuna: sagaci
Cogitat ingenio, quæ prima ætate Neronem
Finxerit ars sanctum, dignumq; potentis honore
Imperii, quæ mox contagia tetra Leonem
Immanemq; feram uastantem hostiliter orbem
Reddiderint: nuper ruerint qua labe priores
Sexcēti, meminit: procul ampla hinc arcet ab aula
Virus adulantum, comitesq; cruoris amantes.
Vt stet mole sua, iam nunc se ponit in vno
Omnia: fortunam (dea ne fallacibus alis
Effugiat) ualidis uirtutum nectere uinclis
Nititur:

Nititur:humanasq; uices meditatur,ut alte
Ad se fixa trahant successu sidera læto
Deiectura homines casu grauiore sub umbras:
Quærit amicitias,& amari adnititur,unum
Quemq; sibi officiis,comi sermone,manuq;
Munifica alliciens:ut,si dea uana reflarit,
Sub dio carpat somnos,gradiatur inermis.
Ho. Quæ tibi pro tali solamine dona rependam?
Quæ grates tibi lingua potest,quis spiritus ęquas
Dicere?dum lymphas in pocula grata salubres
Albula miscebit baccho,dulcemq; iuuabit
Dulcior unda sitim,mea mens te diliget unum,
Vox canet absentem, sed nunc tua tempora lauro
Hac iubet ornari Phœbus phœbiq; sorores.
Nam tu præteritis solatia plena tulisti,
Tu digno ornasti præsentia tempora uersu,
Tu spem felicis das certam & signa futuri.
Hinc delubra Iouis,cœliq; adeamus ad aram,
Noster ubi ætheriam Princeps sibi cōdidit arcem:
Non ut suspectos,quos non habet,arceat hostes,
Præsidio non arcis eget,qui principe cœli
Pro summo in terris regnat,quem turba deorum
Custodit uolucrum,qui curæ est omnibus astris.
Ast ut par fieret diis immortalibus,auras
Vitales patrio Ioue semper agente,iuuentam
Huic quoq; ꝑpetuam meus afflat lucidus Hebon.
Vtq; alium in terris cœlo digressus olympum
Iactet habere Deus sese cum principe terræ.

Ecce, haud sũmus honor, sua sed sapiẽtia Paulum
Felicem similemq; Deo facit omne per æuum.
Nũc age pro patriæ patre numina trina precemur:
Vt parta uirtute sua cum pace fruatur
Muneribus longo nobiscum tempore pacis,
Serus & in cœlum redeat, sedemq; beatam
Impleat, a prima florentis origine mundi
Promerito positam, candens ubi lacteus orbis
Emicat, herculea pōstq̃ pater optimus hydram
Multiplicem claua barathro summerserit imo,
Ac Libyen Asiamq; atra caligine mersas
Lumina ad æterni conuerterit aurea solis.
Vnus tum pastor reget unum sanctus ouile.
Tum Deus alter erit Christi sub numine Paulus:
Christus & imperio Pauli moderabitur orbem
Vndiq; diuinos capiens Deus unus honores.

FINIS.

QVI veterũ nescit, puer est, monuméta virorum,
Nemo Ioui obiiciet tibi segne hoc inclyte crimẽ.
Cur non Augusti ueneramur Cæsaris ædes,
Vicinas ædes, & celsa palatia magni
Arcadis, ac priscis habitatas regibus arces?
Iamq; domum tenuem & cunabula mira quirini
Ac primam imperii mutabilis aspice sedem.
Hic quoq; fige moram, męcumq; quiesce sub alto
Hoc ruderum scopulo, uastasq; tuere ruinas.
Hinc ueterum benefacta magis mirare, reuoluens
Prisca animo, hinc urbis miserare ĩforme cadauer.
Tum qui condiderint tantam reminiscere molem.
Condere magnanimis erat olim regibus urbes,
Nunc autem est penitus populari ac uertere curæ.
Huic aures saxo admoueas, sensusq; reclines
Huc, & ab his umbris aliquid squalentibus hauri,
His e disiectis imitandum sume sepulchris.
Nil quando in uiuis præclari luminis ardet.
Nõne elementa uides saxo huic impressa uetusto?
Hunc hunc ter uenerare locum, da terna sacello
Oscula, in hoc etenim mirabilis edita proles.
Hoc nymphæ in luco primum Carmentides ortæ,
Noster amor, nostrumq; decus, fidęq; uiarum
Tempus in omne duces, seu nosse arcana deorum
Seu rebus quæras certa ornamenta secundis,
Seu solida aduersis solatia, compos abibis

Votorum, ac veniet tecum comes alma voluptas.
Lux magna o latii salue, ter mater ab oris
Huc vecta arcadicis felici sidere salue,
Quid sine te demum mortalis vita fuisset?
Nunc quoq; diua tuo quicunq;, vel inter opimos
Exultant campos, orbati lumine tanto
Errant, atq; premunt insulso pondere terram,
Ignauum pecus humana sub imagine pascunt.
Quęso tuum serua inuentum, prædulce senectæ
Præsidium, in nostram felix illabere mentem.
Huc ades inuentrix diuini muneris, omnem
Ex oculis nubem eripiens, e pectore labes.
Iamq; sine inuidia fortunæ inflantis alumni
Omne terant nugis & ludis turpibus æuum
Circæo pecori similes, hoc nectare cassi,
Hic etiam manibus pinguis cadat hostia nostris,
Atq; hic pro nostro maiores Cæsare curas
Sumentes, omni studio meliora precemur,
Vt sese agnoscat, se tanto vt nomine dignum
Præbeat, illius mores imitetur & acta
Inclyta, cuius habet venerabile nomen, & ingens
Imperium, vt tanti socios in mole regenda
Imperii reges sancto sibi fœdere iungat,
Ac sine coniunctis sociorum cogitet armis
Omnia se vano moliri bella labore,
Deq; Italo pigeat iam tandem effundere vires
Cespite tam validas, & tinguere sanguine cãpos.
Pro quo q̃ magnum decus & quam forte iuuentæ

Robur, parua inhians, quã ditem perdidit orbem?
Ingentes magno capiuntur in ęquore pisces
Fatales aquilas conuertere solis ad ortus
In turcam nostri truculentum nominis hostem
Pulchrius vtiliusq; putet, terramq; reluxit
Vnde salus hominum, nitatur soluere uinclis.
Et regna in socios partiri hostilia reges.
Hinc decus hinc laudes hinc speret præmia sanctę
Maxima militiæ, nullum peritura per æuum.
Talia molimur socia dum uoce precari,
Principis & nostri fortunam ad sidera uotis
Tollere supplicibus, postremo ut terminet ingens
Oceano imperium, famamq; micantibus astris.
Edita de luco uox hæc numerosa per auras
Insonuit tacitas, iussitq; audita referri.
Spiritus Albuneæ non hæc obscęna uolucris
Præcinit, ut moueat grauiori pectora cantu.
Felices fierent æquantes numina Reges,
Addita sana quidem si mens regnantibus esset.
Contenti & patrio citra sua uulnera sceptro
Sanctius æqua darét populos sua iura per omnes.
Sed te, quem curru uehit alto gloria Cæsar
Centum Cæsaribus centum de regibus ortum,
Centum sortitum pulcherrima regna, paternis
Contentum sceptris, contentum & finibus istis
Fata uetant regnare, manent quem dona deorum
Maiora, herculeas cui trans extendere metas
Imperium dederint, & Eoos uincere tractus:

¶Hoc opus in primis urgẽdum, hic uertitur ordo
Inde dei patriam noſtri, lux unde refulſit
Atq; ſalus hominum, ſanctamq; repoſcere terram.
Tantum aquilas dites conuerte orientis ad oras,
Continuo aſpicies ſe trans iuga condere tauri,
Aut procul in uaſtas hoſtem ſeſe abdere ſiluas.
Aggredere o tandem, ne fata uocantia differ.
Pactolus, Ganges, Euphrates, Nilus opimas
Summittent undas, oriens tibi ſeruiet omnis.
Reſtituesq; Deo quicquid male poſſidet hoſtis.
Si tu cuius habes auguſtum nomen & amplum
Imperium, mores imitabere & optima facta.
Nocturna uerſare manu uerſare diurna
Teueterũ monumẽta ducũ iuuet omnibus horis.
Luce ſine illuſtri doctrinæ cęca uagatur
Natura in tenebris, obnoxia mille periclis,
Nec uis nec facies marti nec ſpiritus ardens
Profuerat, cum uincla manus & colla tenerent,
Mercurii eripuit uirtus e carcere martem,
Qua ſine Dux uinclis religatus, & anxius inter
Fluctuat errores, cadit inter & arma cruentus,
Nempe duces illos, quorum uiget inclyta mundo
Fama, prius doctę ſatis edocuere ſorores.
Quãdoquidem nullũ plura & meliora neceſſe eſt
Scire magis, q̃ regna tenet qui plurima, tractus
Diuiſa in uarios & ab ore repoſta regentis,
Quin tantæ nauis tam uaſta in mole regenda
Hos opus eſt adhibere uiros, quos longa laborum

Per uarios rerum probat experientia casus.
Sidera qui norint, tempestatesq; futuras,
Qui caueant atrox quid cogitet Auster & Eurus.
Quicq; statum cœli solis speculentur ab ortu,
Ac teneat, benefacta probat quę plurima clauum.
Vtere munifica non parca & uindice dextra.
Sit tibi summa fides, animusq; ante oia clemens.
Omnia summa decent pollentem numine regem.
Rex ut honore tumet, uirtute excellat, & omnes
Conciliet populos maiestas aurea morum.
Non metus at custos amor adsit corporis ardens,
Plus prope parcendo Cæsar post prælia uictis,
Quam ui uincendo creuit, sicq; addidit astris.
Nulla tuentur apum dilectum spicula regem,
Non odere suum, sed apes uenerantur amore
Certatim socio, atq; humeris super æthera tollunt,
Ius dare cuicq; suum, curareq; publica gaudet.
Non feritate premit, sed maiestate coercet
Erranteis populos & uulgus inutile, fucos.
Iccirco tibi tanta Deus dedit inclyte Cæsar
Dona manu larga, ut mortalibus omnia passim
Distribuas meritis, fungentem ut munere sancto
Numinis instar amet, teq; omni exornet honore
Teq; tuo imperio commissus concinat orbis.
Quis uenit ex auro splendor quæ fama sepulto?
Quanto plura dabis, tanto tibi plura uidebis
Depromi ex diuum thesauris munera plenis,
Quin etiam e cœli mirabere flumine uiuo

Perpetua in largum decurrere flumina fontem?
Largos haud vnq̄ defecit copia Reges,
Magna satis merces honor est & gloria Regi.
Dos diuina honor est, ipso pretiosior auro.
Sit fossor merito parcus, sit auarus arator,
Cui pauca acquirit durum labor actus in orbem,
At Rex cui nullo res parta labore redundat,
Esse suum agnoscat donare merentibus ultro
Et si clementem cœli fore casibus optas
Ipse tuis regem, tua sit clementia summo
Aequa Deo, & mœstum soluat formidine seclum.
Sola deis homines æquat clementia magnis,
Dictitat, est summum Ius summa iniuria, vulgus,
Mortales laudant Astræam impensius omnes,
Nemo domi regnare suæ tulit acrius illam.
Vulneris accepti nunq̄ iacet immemor vrsus
Deformis rictu, truculentus murmure sæuo.
At Leo magnanimus collatis viribus hostem
Sternere humi tantum, prostrato parcere gaudet,
Turpe feræ vinci Regem virtute potentem.
Hæc ait, ac vatis nos dulci carmine captos
Speq; noua lætos musarum in templa remisit.

Ad L. Gauricum Astronomum Clarissimum.

GAurice de Cœlo descende, errantia tandem
Sidera linque mihi, signiferiq; domos,
Desine fatorum seriem casusq; futuros
Quærere, præsentem sed venerare Deum.
Ac mecum Pauli grato dic carmine laudes,
Qui veri in terris numinis instar habet.
Nam mihi Pieridum voces & carmina desunt,
Quanq̃ ad Parnassi me iuga raptat amor.
Pessima pars anni senibusq; infesta caducis
Me prope perdiderat horrida pestis hyems.
Cum me Pontificis visentem augusta beati
Ora, simul vultus effigiemq; Dei,
Cœpit habere vigor recreans præcordia maior,
Lætius ac uitæ iussit inire genus,
Lætitia comitante calor descendit ab astris,
Vimq; mihi sensi solis adesse noui.
Sol quæ sola uidet calefacta extollit in auras,
Natura hæc Pauli est optima magnanimi
Quos uidet astantes donis & honoribus ornat,
Dulcibus & radiis proxima quæq; fouet,
Fratris ab ore capit ceu Phœbe candida lumen,
Sic ualido a Pauli robore robur ego.
Horrida cessit hyems Zephyris, & mollior æther
Cœpit odoratas pandere ueris opes,
Veris opes Paulus mihi fudit ab ore sereno,
Mox dabit autumno fertiliore frui.

Hinc ego per siluas auibus per flumina cygnis
Mistus, Pontificis tot benefacta canam.
Stultus ego ætatem qui riuum propter inanem
Blandaq; sebeti murmura perdiderim.
Salue o cunctarũ Rex maxime Tybris aquarum,
Flumine piscoso qui decus omne paris.
Laudari paucis Pauli nequit inclyta uirtus,
Pandite felices nunc helicona deæ.
Dicite Pontificem magnum ter dicite musæ,
Audiat & nostrum carmen uterq; polus,
Vt nos semideos inter gentemq; deorum
Viuentes, similes censeat esse deis.
Hunc seclũ euersum renouantẽ hunc audiat orbis
Vltimus, & cunctis gentibus esse patrem.
Omnia nunc Romæ Romano principe florent.
Non aliena tenet nunc sacra sceptra manus.
An parte ex aliqua non me rear esse beatum,
Quem pater ex omni parte beatus alit?
Qui potuit vatis uitam instaurare iacentem,
Hunc quoq; sit mihi fas semper habere Deum.
Funde age communis pro tanto auctore salutis
Ad superos mecum Gaurice docte preces.
Ipse dator uitæ Deus illi proroget æuum,
Vt uitas aliis restituisse queat.
O utinam ut Paulus Augusto it Cæsare maior
Et cœli & terræ maxima sceptra tenens,
Sic ego Virgilio sim maior, ut inclyta Pauli
Facta maronæo carmine digna canam.

FINIS.